



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Filiorvm Israel. Cantemus Domino. Exod. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Deliciis nuper saturi se pane locarunt,
 Esuriem passis copia farris adest.
 Cui sobolis fructum sterilis natura negarat,
 Nunc vteri gaudet fertilitate sui.
 Quæ se multiplici iactabat prole beatam,
 Fœtibus infelix nunc viduatâ gemit.
 Vitam adimit Dominus cui vult, vitamq; refundit
 Ad Styga deducit, rursus & inde vocat.
 Pauperiem immittit, nunc auri pondera donat:
 Sternit humi, stratos postmodo tollit humo.
 In sublime vehit vili de puluere egenum,
 Et de stercorebus surgere posse facit.
 Ut proceres inter positus loca prima capeffat,
 Et valeat summi culmen adire gradus.
 Hic quoque cardinibus terrarum præsidet, inque his
 Fundavit mundi constituitque globum.
 Sanctorum regit incessus, seruatque suorum,
 Et facit in tenebris conticuisse malos.
 Quanta vis præstet nam quis virtute, saluti
 Nemo sibi propriis viribus esse potest.
 Ille suos gelidis plectet terroribus hostes,
 Atque erit, ut super hos cœlica ab arce tonet.
 Terrarum tandem fines quæsit in omnes
 Adueniens, veri iudicis edet opus.
 Denique regna suo Regi firmabit in æuum,
 Et decus in Christum conferet omne suum.

CANTICVM FILIORVM ISRAEL.

*Cantemus Domino.**Exod. 15.*

CAntemus Domino qui per sua facta, decusque
 Sese magnificis extulit ipse modis.

Qui

Qui currus & equos, in sefforemque superbum,
 In maris insanas præcipitavit aquas.
 Virtutem hunc, roburque meum grato ore fatebor,
 Materia ille meæ, themaque laudis erit.
 Nam me quum premerent discrimina seua, salutem
 Attulit optatam, præsidioque fuit.
 Ille mihi Deus est, referam illi laudis honorem,
 Utque Deum patris concelebrabo mei.
 Se bellatorem præstantibus exhibet actis,
 Nomen & Omnipotens conuenienter habet.
 Nam Pharios currus victor, validasque phalanges
 Sub maris alta ipso cum Pharaone dedit.
 Electos proceres Erythræis merfit abyssis,
 Descendere citi, non secus atque lapis.
 Dextra tua ingentem Deus ô de robore laudem
 Obtinet, oïores contudit illa tuos.
 Per decus immensum, & multi splendoris honorem
 Confecisti ausos bella mouere tibi.
 Hos super ardentem misisti cælitis iras:
 Nec mora, ceu stipulæ disperiere leues.
 Quin furor iste tuus fluctus hinc inde reduxit,
 Et cumulo tumidas stare coëgit aquas.
 Imperio stetit vnda tuo, maris alta videre
 In gemini speciem surgere montis erat.
 Exultans hostis, fugientes persequar, inquit,
 Incidet in nostras gens fugitiua manus.
 Partibor prædam, spoliis implebor opimis,
 Fas erat hinc animæ se saturare meæ.
 Vagina eripiam gladium, dextraque potenti
 Percutiam profugos, exitioque dabo.
 Incubere tui sed postquam fluctibus Euri,
 Infestos refluens obruit vnda viros.

C

Præci-

Præcipiti lapsu cuncti petiere profundum,
 Sidere ceu plumbi liuida massa solet.
 Fortibus in cunctis quisnam te viribus æquet:
 Quis par magnifica sit bonitate tibi?
 Terribilis merito, simul & laudabilis idem es,
 Admiranda tuæ sunt Deus acta manus:
 Quam si quando tuos aduersum extenderis hostes,
 Haud mora, telluris præda vorantis erunt.
 Tu populo summa ductor pietate fuisti,
 Vexerat è tristi quem tua cura iugo.
 Hunc virtute tua ceu blandis mater in vlnis
 Gestasti, pactos donec iniret agros.
 In queis nimirum iam tum loca certa sacraras,
 Quæ velles sedem numinis esse tui.
 Continuo hîc gentes magno ascendere tumultu,
 Effera in accensis cordibus ira micat.
 Inde Palestinos miserè trepidare colonos,
 Et iam collapsæ cernere mentis erat.
 Aduentu nostro Satrapæ turbantur Idumes,
 Robusti que metu contremuere Moab.
 Dirigit Chanaan, nos postquam vidit in illis
 Inuictum terris imposuisse pedem.
 Irruat in cunctos segnis formido, pavor que,
 Sit tua terrori magna potens que manus.
 Stent que loco attoniti, tanquam nō mobile saxum,
 Donec susceptum perficiamus iter.
 Donec transferit populus, quem iure peculi
 Fecisti proprium, sortis & esse loco.
 Duc nos, & stabiles firma plantemur in arce,
 Sunt vbi sancta tua templa locanda manu.
 Sunt, inquam, sedes que sacræ, sancti que recessus,
 Quæ loca firmasti semper habenda tibi.

Noster

Noster in æternum Dominus regnabit, & vltra,
 Eterno si quid longius esse potest.
 Intrarat Pontum Pharao, currusque, equitesque,
 Hos super æquoreas ille reduxit aquas.
 At porrò contra chari genus omne Iacobi
 Transijt inuocuo per vada sicca pede.

CANTICVM HABACVC PROPHE.

*Domine audiui auditionem.**Habac. 3.*

Summe Deus, tua fama meas peruenit ad aures,
 Hinc cœpere mihi corda pauere metu.
 Quæso tuum pietatis opus da exurgere tandem
 Tunc precor, & vires exeruisse suas,
 Seruirij tempus nostri, patriæque relictæ
 Dum medias cursu venerit vsque vias.
 Annorum in medio victorum abrumpe labores,
 Nec patere ad plenum nos fera vincla premant.
 Pone iram, atque memor pietatem mente resume,
 Et facias solitis fulgeat illa notis.
 Auxilio quondam Dominus descendet ab Austro,
 Ifacidis, veniet Sanctus ab arce Pharan:
 Ipsi obtexit stellantes gloria cœlos,
 Et simul ingenti laude repleuit humum.
 Tunc quoque Phœbææ lucis respendit instar,
 Ipsi & radios dextra corusca dedit.
 Ille suum robur cæca sub nube tegebat:
 Præuia mors eius vultui obibat iter,
 Tartarea de gente sibi præmisit eunti,
 Importare luem gentibus, atque necem.
 Substitit, & pactis sedem defixit in aruis:
 Tum mensus terram est, distribuitque suis.